



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris D. Hludowici Blosii Abbatis Lætiensis Ordinis S. P. N. Benedicti Tomus Posterior Margaritum Spirituale

Blois, Louis de

Monasterii Campidonensis, 1672

Epistolæ Documentum I. Pura beneplaciti divini intentio. Mundicordia,
custodia innocentiae. Libertas spiritus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45885)

rissime, dum petis à me doctrinam aliquam, quæ tibi per iter vitæ spiritualis ad pacem filiorum Dei tendenti possit esse adminiculo, tu postulas panem ab eo qui valdè inopsest, & tecum pane indiget: sed dives ille, à quo omnes alimenta accipiunt, me & te pascat, donans atque inspirans ea, quæ scribere debeam in meam & tuam utilitatem. Igitur si perfectiorem animi tranquillitatem obtinere, & CHRISTO Domino singulariter acceptus esse cupis, cura ut sedulò observes (quantum in te est) pauca Documenta quæ sequuntur.

DOCUMENTVM I.

- 1. Pura beneplaciti divini intentio.
- 2. Mundicordia, custodia innocentie.
- 3. Libertas spiritus.

In omnibus quæ agis, tractas, laut loqueris, honorem Dei per sanctam intentionem purè quære: & custodiendæ cordis munditiei, libertatiq; invigila.

APPENDIX.

Tria continet fundamenta vite spiritualis.

- 1. Pura intentio beneplaciti divini, vel minima opera nobilitat: etiam ea, quæ alias facimus ad honestam communitatem aut licitam voluptatem corporis nostri.
- 2. Puritas & mundities interna, quomodo acquiri debeat & conservari.
- 3. Libertas mentis sancta & inculpata in quibus consistat.

1. Pura intentio.

Hoc unum præceptum summatim comprehendit, quidquid ad vitam spiritualiter agendam præscribi potest: quo admo-

nemur in omnibus operibus, verbis, cogitationibus, atque desiderijs nostris Deum sinceriter quære, & ad ejus honorem cuncta referre, corque mundum ac liberum habere. Dicitur non potest, quàm Deo gratas & nobis fructuosas reddat ipsas actiones nostras sancta intentio. Etiam si quis solummodò pedem aut manum, vel linguam purè propeet Deum moverit, caputve inclinaverit, seu minimam cogitationem, minimumque desiderium secundum charitatem habuerit, amplissimam postea mercedem accipiet.

Quin & quando pro Dei honore desideramus sanitatem corporis, cessationem tribulationis, necessaria vitæ præsentis, & similia, divinæ interim voluntati atque dispositioni totam petitionem nostram committentes; ipse Dominus salutis nostræ cupidissimus, grata habet etiam talia desideria nostra, & illa coronat qualem desiderassemus.

Puritati internæ custodiendæ invigilat, qui superbiam, vanam gloriam